MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-7

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

NURNBERGER, J. A.

TITLE:

QUA SCRIPTIONE NON-NULLOS LOCOS

PLACE:

CAMPODUNI

DATE:

[1832]

Master Negative #
91-80275-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CM
DZ6 Nürnberger, Joseph Anton,
...Qua scriptione nonnullos locos, e Ciceronis orationibus delectos, veteris libri subsidio recto constituere conatus est. Campoduni, ex officina Jos. Koeselii, [1832]
14 p. 28½ cm.

At head of title: Sollemnia anniversaria in Gymnasio regio Campodunensi... celebranda indicit Josephus Antonius Nürnberger...

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 7

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO

CAMPODUNENSI

D. XXXI. AUGUSTI A. MDCCCXXXII.

CELEBRANDA

INDICIT

JOSEPHUS ANTONIUS NÜRNBERGER,

PROFESSOR.

Qua scriptione nonnullos locos, e Ciceronis orationibus delectos, veteris libri subsidio recte constituere conatus est.

CAMPODUNI,

EX OFFICINA JOS. KOESELII.

32

Ante aliquot annos mihi comparavi Ciceronis orationes ab Aldo Venetiis a. MDXIX. typis excusas. Multa ad marginem hujus exemplaris scripta inveni, quae cum argumenta et partes cujusque orationis, tum scripturae discrepantiam continent. Accuratius investiganti mihi apparebat, haud pauca inesse, quae notatione digna essent. Primum id quaerendum putavi, an forte lectionis varietas, quam dicunt, ex aliquo libro typis impresso transscripta esset. Pleraque minutis litteris, nitide tamen, scripta sunt. In margine multa a bibliopego accisa sunt, unde apparet, libros denuo compactos, aut saltem notas scriptas esse, priusquam libri compingerentur. Item tegumenta horum trium voluminum, nunc a blattis tineisque arrosa, has notas vetustas esse indicant. In prima pagina scriptum est: *Tiberius Provalius huiusce libri possessor.* Nonnulla verba Italica occurrunt, et, ut moneam de re minuta, quae tamen alicujus momenti esse videatur, nomina scripta sunt, ut in vocalem terminentur, e. g. Cice., Sallu., Li. (vius), Pli. (nius), Flo. (rus), Plu. (tarchus). Alio loco *pa-ulo* sic divisum occurrit, id quod hominem Italum prodit. Ubique fere folia librorum impressorum citantur, nunquam capita, exceptis Livii et Quintiliani libris, qui numerantur. Notandum est, etiam deperditos Livii libros nullo discrimine facto saepe citari, ita ut loci occurrant, qui in epitomis Livii non habent quo referantur. Scriptores quorum libri laudantur, sunt: *Naugerius*, *Valla*, *Budacus*, *Egnatius*, *Sigonius*, *Alciatus*, *Rodolphus Agricola*, *Acidalius*, *P. V.* (*Petrus Victorius?*). Hi omnes saeculo decimo quinto sextove vixerunt; scriptorum recentioris aetatis laudatur nemo. Unde colligo, haec in Italia a viro docto atque diligenti scripta esse, quum editio Aldina recens esset, certe saeculo sexto decimo. Naugerii, quem multum contulisse constat, ut Ciceronis orationes ab Aldo emendatius exhiberi possent, in oratione pro lege Manilia c. 22. ita fit mentio, ut suspicari possis, eum qui haec adscripserit, hujus doctissimi viri fere aequalem fuisse. Hos omnes libros adeundi quum mihi non esset copia, ex libris ipsis de aetate, qua haec scripta essent, nihil statuere poteram. Loci plerique qui citantur, tum ad praecepta rhetorica, tum ad jus civile referri videntur. Multa ad marginem scripta sunt, quae nunc Orellius vel ante eum alii receperunt, de quibus locis me plura monere supervacaneum puto. Nonnullas lectiones, quas e conjectura fluxisse Orellius vel alii dicunt, adscriptas inveni. Multa consentiunt cum editione Juntina. Saepe etiam minutiae sunt notatae, e. g. *ac* legendum esse pro *et*, *materiem* pro *materiam*, *singillatim* pro *sigillatim*, Manil. 12. §. 35. notatae sunt sententiae, quae in *avit* terminantur: *adornavit*, *apparavit* et plura in hoc capite; 14. §. 41. pro *par infimis* liber meus habet *infimis par*, quod Or. e solo palimpsesto Taurinate adfert. Item interpungendi ratio saepe emendata est.

Quod ego me libri veteris subsidio nonnullos locos tractasse professus sum, hoc ideo vere dici credo, quod haud exiguus numerus lectionum plane ineptarum occurrit, quas non ab

auctore harum notarum, qui se ubique diligentem et eruditum praestat, sed e libro vel libris manu scriptis fluxisse apparet. Considera aliquot tantum verba mire depravata, et errores agnosces, quales in Mss. occurrere solent. Catil. I. 6. §. 15. *metum aliquem* pro *mentem aliquam*, 10. §. 26. *ociosorum* pro *occisorum*, III. 6. §. 13. *veritate* pro *varietate*, pro Sextio 7. §. 16. *mihi ratus* pro *mihi iratus* (Aldina habet *miratus*), paulo post *in fanis* (sic distincte scriptum) pro *insani* (alii legunt *infamis*), 33. §. 72. *incendula* pro *nitedula* (vox *incendula* e *cicindela* corrupta esse videtur), aliquoties *vis* pro *ius*, in Vatin. 3. §. 8. *impurissime* pro *imperitissime*, pro Caelio 5. §. 11. *animus* pro *annus*, pro Mil. 6. §. 14. *inepta* pro *empta* (Cruquius quoque hujus corruptelae mentionem facit in ed. Milonianae, quae prodiit Antverpiae a. 1582).

Has esse varias lectiones, quas sive ab imperito et negligenti librario, sive ex obscuro litterarum ductu ortas vir doctus e libro manu scripto transscripserit, dubium non esse existimo. Brevitatis causa signo *l. m.* (liber meus) utor, quo has notas ad marginem editionis Aldinae, vel inter versus scriptas intelligi velim.

Sed ut ad id perveniam, quod est potissimum, ut re ipsa demonstrem, me operae pretium fecisse, quod has notas diligenter perlustravi: ex iis selegi, quae mihi alicujus momenti esse videbantur, sperans, fore ut in his quasi primitiis meis, quae judicium publicum subeant, nonnullos certe summi oratoris locos rectius constituerim, quam in Ernestii aut Orellii editionibus legantur.

ORATIO PRO LEGE MANILIA.

7. §. 18. ed. Orell. *Deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi et industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis: partim eorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent.* In libro meo pro *eorum* scriptum est *suas et suorum*, id quod in multis editionibus legitur. Orellius reducit lectionem *partim eorum* et explicat: „Id est partim aliquot eorum". Sed quid est „partim aliquot eorum"? quum potius *pars eorum* dicendum erat. *eorum* vacat. Aptior ad sensum est *partim suas et suorum;* neque video, quid ridiculi Orell. in hac lectione invenire possit. Quamvis equitum Romanorum nonnulli etiam alienas pecunias mutuo sumptas foenoris causa in Asia collocatas habuerint: hac tamen ratione potissimum efficitur, cur auxilio digni sint, quod *suas et suorum* pecunias ibi habeant.

§. 19. *id quod ipsi videtis* — l. m. *vidistis*, quod fortius dictum videtur, ut ad id referatur, quod jam factum est. *vidistis* fortasse recipiendum est.

8. §. 20. *In quo maxime laborandum est, ne forte * ea vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur.* (Asterisco Orellius conjecturam receptam significat.) Conjectura Buttmanni *ea vobis* pro *a vobis*, quod libri omnes exhibent, scribentis opus non esse videtur. Praepositio adest, ut *vobis* non cum verbo *videantur*, sed cum utroque gerundivo jungatur.

ibid. *instructas* [*fuisse*] — Verbum *fuisse* ex aliquot codd. recipiendum est.

9. §. 24. *Mithridates autem et suam manum iam confirmarat, et eorum, qui se ex eius regno collegerant, et magnis adventitiis multorum regum et nationum copiis iuvabatur.* Matthiae copulam *et* ante *eorum* invitis Mss. delet, *et suam manum iam confirmarat eorum* explicat „quae constabat ex iis, qui se ex ejus regno collegerant". Sed ita Ciceronem loqui, vix quisquam

probaverit. Sensus tamen impeditus est. Quid enim differunt *sua manus* et *ii, qui se ex eius regno collegerant*? Liber meus habet *suum animum* pro *suam manum*. Ex Graevii conjectura haec lectio fluxisse non potest. Hoc scriptum esse, antequam Graevius Ciceronis opera edidit, pro certo habeo. Denique *suum animum* optime quadrat ad sensum. Antea enim dictum est, Romanum exercitum longinquitate locorum ac desiderio suorum ita commotum esse, ut reditum maturum quaereret. Cfr. 15. §. 45. *quum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent.* Idem narrasse Livium l. 98., epitome indicatum est. Itaque *suum animum* recipiendum esse existimo.

§. 26. *quantum illud bellum factum putetis*, — l. m.: *futurum* pro *factum. futurum*, quod ad seqq. bene quadrat, fortasse praeferendum est.

11. §. 31. *navigaretur* — l. m.: *navigarit.* Cfr. 12. §. 32. *quum exercitus ... transmiserint.* Praestat tamen *navigaretur.*

13. §. 36. *Quae breviter, qualia sint in Cn. Pompeio, consideremus.* l. m.: *quanta* pro *qualia. quanta* praestare videtur, si respicias quae sequuntur: *Summa enim omnia sunt, Quirites:*

§. 38. *Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult.* Matthiaeo et aliis viris doctis placuit altera lectio *ipse* pro *ipsum.* Sed hoc loco *ipsum* praestat. Respicias ad *exercitum continere*, et aptior erit oppositio. *Is imperator* subjectum est; imperatori enim multo minus difficile esse debet, se ipsum continere, quam exercitum. Sic 16. §. 47. *de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest*, pro quo alii *ipse* praeferunt, recte se habet, quia sequitur *de altero.* Pro *iudicando* l. m.: *viduando*, quod *vindicando* esse debet; quae verba facillime confundi, monet Drakenborch ad Liv. IX. 1, §. 8. Praestat tamen *iudicando*; sequitur enim statim *iudices*, eodem modo, quo antea *continere — non continet* juncta sunt.

15. §. 44. *quantum* [*huius*] *auctoritas valeat in bello*: Cfr. continuam orationem. Pronomen *huius* invitis codd. Matthiae delevit, Orellius delendum censuit. *huius* non tantum ferri potest, sed aptiorem intellectum praebere videtur. Nam Cicero, quum plura dicere non vult, quibus confirmet, Pompejum magnam auctoritatem habere, primum dicit, se non exemplis aliorum, eorum scil., qui proxima bella gesserant, et qui Pompejo longe inferiores erant, hoc demonstraturum esse, sed ab eodem Pompejo exempla sumpturum. Deinde e seqq., potissimum initio c. 16. patet, Ciceronem non demonstrare, quantum auctoritas valeat in bello, sed quantum Pompejus valeat auctoritate.

§. 45. Aldina habet: *Jam vero accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paulo ante invitus admonui: cum socii pertimuissent: hostium opes, animique crevissent: cum satis firmum praesidium provincia non haberet: amisissetis Asiam cett.* Orellius paucorum codd. auctoritate particulam *vero* post *Jam*, et conjunctionem *quum* ante *satis* omisit. Utrumque recte adest. Sic *quum* ante apodosin repetitur 16. §. 49.

16. §. 48. *Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit: que* post *quanta* in libro meo deletum est. Recte abesse videtur.

17. §. 50. *quid exspectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?* Aldina aliaeque editiones habent *committamus.* Conjunctivus recte se habere possit. Cui-

vis quidem in mentem venire potest, librarium ob similitudinem verbi *exspectamus*, terminatione in *amus* ductum hoc quoque loco *committamus* posuisse. Non tamen ita similis est utraque interrogationis forma, ut conjunctivum tolli necesse sit. Mirantis potius et indignantis verba esse videntur, ut nos dicimus: oder warum sollen wir nicht anvertrauen? Denique ad periodi numerum si respicis, *committamus* pleniorem terminationem efficit, quam *committimus*.

§. 52. *Obsolevit iam ista oratio*, — l. m.: *ratio*, quae scriptura per se probabilis esset; quum tamen de orationibus Hortensii agatur, vulgata scriptura praestat.

19. §. 58. *neque me impediet cuiusquam, Quirites, inimicum edictum*, — *cuiusquam*, quod e Mss. parum auctoritatis habet, in libro meo adscriptum est.

Post *rerumque gestarum* additum est *gloria*.

20. §. 60. *At enim nihil novi fiat contra exempla atque instituta maiorum.* In l. m. post *enim* adscriptum est *inquit*, quod ex nonnullis codd. recipiendum puto, ut sit *inquit* scil. aliquis. Cfr. Heindorf ad Hor. Sat. I, 4, 79.

§. 61. *in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta, recordamini.* l. m.: *in hoc ipso. hoc* recte addi videtur. Scripturam *summaque Catuli* praefero. Numerus orationis conjunctionem *que* poscere videtur. *que* hoc loco idem est, quod *atque etiam* vel *et quidem*. Praenomen *Q.* recte abest, quia modo praecessit. Ceterum e libris scriptis nihil de hac re discerni potest.

22. §. 64. *Atque in hoc bello Asiatico* — l. m.: *Atqui*, quod fortasse praestat. Servit enim conclusioni. In libro meo haec scripta sunt: „*Atque in hoc bello* haec tota pars usque ibi (23. §. 68.) *Quod si autoritatibus hanc causam Quirites* tractata est superius charta 11. (c. 13.) ibi *Non enim solum bellandi virtus* hic rursus est tota repetita, quae neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, convenit, neque prudenter posita, sed prorsus aliena est tractatio, non solum a Cicerone sapientissimo homine, sed etiam ab infimae prudentiae homine rejicienda. Naugerius homo praestantis judicii dicebat verisimile esse Ciceronem, ut fieri solet, bis eandem partem domi composuisse, postea quae videbatur melius esse tractata, eam accepisse, utramque tamen indeletam apud se domi servabat (sic). Post ejus vero mortem qui libros ediderunt, invenerunt utramque partem, et quoniam non erant eo judicio, ut forte possent de iis rebus judicare, jamque fuerat a Cicerone sine ordine relicta, in fine posuerunt, inepte quidem et sine ratione.“ Orellius monet, Pantagathum haec pro inepto additamento habuisse. Haec melius abessent; uncis certe includenda sunt.

23. §. 68. *Quare videte, num horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.* In particula *num* variant codices. Non est, quod Matthiae hac lectione offendatur. Per ironiam idem dictum esse videtur, quod *Num forte respondere non possumus?* Sibi persuasum habet orator, se iis qui dissentiunt, respondisse. Sic 7. §. 19. *Quare videte, num dubitandum vobis sit*, idem est, quod *Nolite dubitare.*

24. §. 70. *ut hominem praestare oportet*, — l. m.: *evitare* pro *praestare. praestare* aliquid sane dubitationis movet. Significare videtur *ut oportet, hominem id praestare* scil. id quod Cicero jam dicit. *evitare* explicandi causa additum videtur.

IN L. CATILINAM ORAT. I.

1. §. 3. *C. Servilius Ahala* — Idem praenomen exhibet l. m. pro *Q. Serv.* Or. recepit *C.*, quod Mureti, al. conjecturam esse dicit. Aliis locis *C.* appellatur.

4. §. 9. *qui de meo nostrumque omnium interitu... cogitent.* l. m.: *vestrumque.*

7. §. 18. *Nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te*: Aldina habet: *Nullum jam tot annos fac.* Adscriptum est, in Quintiliani libro nono legi *aliquot annis* (Est Quintil. IX. 2. §. 32.).

8. §. 19. *ad suspicandum sagacissimum* — l. m.: *investigandum.*

§. 21. *quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima*: Ald. habet: *quorum vel authoritas clara est videlicet: vita utilissima*: Verba *clara est* linea signata sunt, ut deleantur, et ante *vita* verbum *claruissem*, quod etiam *claruissent* legi potest, scriptum est. Scripturam confusam esse apparet; tamen hoc movet dubitationem, an lectio, ab Orellio et aliis recepta, vera sit.

9. §. 24. *qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati?* Ald. habet *te.* Adscripsit quidam proprio litterarum ductu notabilis: „in antiquissimo codice m(anu) scripto legitur: qui tibi (ad) forum Aurelium praestol.“

IN CATILINAM II.

2. §. 4. *Tongilium mihi eduxit; quem amare in praetexta † calumnia coeperat*: l. m.: *et aetatula* pro *calumnia* († est signum loci corrupti).

6. §. 12. *Homo videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, ivit. Hesterno die, quum cett.* Verbum *ivit* Morgensternium conjecisse Matthiae dicit. Certe *ivit* codicum auctoritate parum firmatum est. Aldina habet: *paruit. Quod hest.* Post verbum *paruit* adscriptum est *Quirites*, quod Censoris Jenensis conjecturam esse Orellius dicit. Praestare videtur: *paruit. Quid? Hesterno die cett.*

10. §. 22. *quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis*: l. m.: *paene* pro *bene.* Idem Manutius suspicatus est.

IN CATILINAM III.

4. §. 9. *Introducti autem Galli, iusiurandum sibi et literas a [P.] Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse cett. — pedestres sibi copias* habet aliquid offensionis, quum pronomen *sibi*, quod praeterea ter occurrit, ad Gallos, quibus litterae datae erant perferendae, referatur. Aptius inter *pedestres* et *copias* adverbium *ibi* poni videtur. Itaque facillima mutatione *pedestres ibi copias non defuturas*: legere malim.

5. §. 10. *Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo, sese, quae eorum legatis confirmasset, esse facturum: orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum recepissent.* Idem habet liber meus. *praecepissent* antea obtinuit. Muretus conjecit *recepissent*, quod deinde in uno codice inventum est. *recepissent* praeferendum esse apparet.

§. 12. *Vulturcius vero subito proferri literas atque aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat.* Nonnulli offendisse videntur in voce *iussit.* Ab aliis enim *petit* vel *postulat* legi, notatum est in edit. Gothofredi, quae prodiit Coloniae Allobrogum a. 1616.

l. m.: *Vulturcius vero subito proferre literas atque aperire jubetur*, quam lectionem reciperem, si eam codicum auctoritate niti certum esset.

11. §. 26. *propagatam*: l. m.: *propagandam.*

IN CATILINAM IV.

2. §. 4. *tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad vestrûm omnium caedem, ad Catilinam accipiendum, Romae restiterunt. Tenentur literae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio: sollicitantur Allobroges: servitia excitantur: Catilina arcessitur: id est initum consilium, ut interfectis omnibus nemo ne ad deplorandum quidem rei publicae nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.* Pro *id est initum consilium* alii legunt: *idem initum cons.*, alii: *tale initur cons.*, l. m.: *iisdem initur consilium.* Hanc lectionem recipiendam existimo. Apte procedit oratio tempore praesenti. Raro occurrit apud Ciceronem dativus passivo junctus, praesertim generi passivo praesentis temporis; eamque mutationi causam fuisse apparet.

PRO P. SEXTIO.

3. §. 7. *et ad eum filiam eius adduxit, ut illo insperato adspectu complexuque, si non omnem, at aliquam partem maeroris sui deponeret.* Plures codd. et edd. habent *ut ille*; l. m.: *ut illi*, i. e. *filiae* vel *in illa.* Sic Horat. Od. I, 27, 18: *Depone tutis auribus.* Tamen vereor, ne haec lectio magis exquisita quam vera esse videatur.

6. §. 14. *De quo quidem tribunatu ita dictum est a Q. Hortensio, ut eius oratio non defensionem modo criminum videretur continere, † sed etiam memoria digna esset, uti rei publicae capessendae auctoritatem disciplinamque praescriberet.* Aldina habet: *digna uti* omisso verbo *esset.* In libro meo voces *digna uti* deletae sunt, et hoc loco pronomen *eam* adscriptum est. Haec sententia sic vertenda esse videtur: „Hortensius hat so gesprochen, dass seine Rede nicht allein eine Abwendung der Beschuldigungen zu enthalten schien, sondern dass sie auch merkwürdig war, insofern sie Rath und Anweisung gab zum Antritte der Staatsverwaltung". *digna esset, ut . . . praescriberet.* Durum sane, sed aliqua ex parte probabile, donec quid aptius inveniatur.

8. §. 19. *Capua, in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat,* — Aldina habet: *in qua ipsa*, quod aptius esse videtur.

11. §. 25. *Flagitabatur ab his quotidie . . ., ut meam causam susciperent, agerent; aliquid denique ad senatum referrent.* Melius in ed. Aldina junguntur: *susciperent, agerent aliquid; denique ad senatum referrent,* — *aliquid* cum verbo *referrent* jungi, supervacaneum videtur.

15. §. 35. *equester ordo reus a consulibus citaretur,* — l. m.: *suscitaretur.*

16. §. 37. *res erat cum L. Saturnino, iterum tribuno plebis, vigilante homine, et in causa populari si non moderate, at certe populariter abstinenterque versato. Cessit, ne aut victus cett.* Aldina habet: *at certe populariter agente. attamen nec tergiversatus cessit: ne aut victus cett.* asterisco ad marginem posito. Post *attamen* scriptum est: *agenti isti. abstinenter* rectius abesset, praesertim quum codicum auctoritate parum firmatum esse videatur. Verbum *tergiversatus*, quod codices plerique exhibent, deleri nolim.

18. §. 41. *ut ille, quum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cavendum putaret.* l. m.: *tot ille rebus, cum . . . putavit.*

19. §. 44. *Ego verò, si mihi uni pereundum fuisset, † ac non accipienda plaga insanabilis illa mortifera, quam rei publicæ imposuisset: semel perire tum, iudices, maluissem, quam bis vincere.* Locus corruptus est. Mire codd. et edd. variant. In ed. Aldina ante *insanabilis* legitur *mihi*, et *tamen* pro *tum.* Adscriptum est: *ac mihi modo accipienda plaga mihi insanabilis, illi mortifera: quam is imposuisset.* Notabilis est haec scriptura, quae ad sensum apta esse videtur.

21. §. 47. *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors aequo animo oppetenda?* l. m.: *At* pro *an*, deleto interrogandi signo. Melius procedit oratio, hac interrogatione sublata. *At* recipiendum esse existimo.

24. §. 54. *statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, et spirante etiam re publica, ad eius spolia detrahenda advolaverunt.* l. m.: *percusso*, quod hoc loco recipiendum est, utpote aptius ad hanc metaphoram. *percussus* usurpatur de vehementi atque hostili impetu; *perculsus* de vehementi affectu, minus autem de hostili impetu. e. g. Lucret. I. 13. *perculsae corda tua vi.* Codicum numerus in his vocibus, quae saepissime confunduntur, fere nihil probat.

25. §. 55. *desiderarit.* l. m.: *desideret.*

30. §. 64. *Cesseram, si alienam a me plebem fuisse vultis, quae non fuit, invidiae:* l. m.: *quam non merui* pro *quae non fuit*, ut sit *immeritae invidiae.*

35. §. 75. *Quietus eo die Sextius, is, qui est de vi reus. Actor hic defensorque causae meae nihil progreditur, consilia exspectat inimicorum meorum. Actor hic cett.* ad Sextium referenda sunt, non ad Fabricium. Aldina habet: *Quid eo die Sextius?* pro *Quietus*, quae lectio notabilis videtur, quamquam ab Orellio non memoratur.

36. §. 78. *forum purges?* l. m.: *f. spurces?*, quae Manutii conjectura esse dicitur.

37. §. 79. *obnuntiavit consuli*: l. m.: *obn. collegae.*

38. §. 80. *Ubi est crimen, quod reprehenditis?* l. m.: *ubi est crimen? quae reprehenditis?* Sic pro Balbo 3. §. 7. *Ubi igitur est crimen?*

48. §. 102. *Haec ampla sunt, haec divina, haec immortalia:* Ald. habet: *haec ampla sunt, haec immortalia, haec divina*: quod gradationis causa praefero.

66. §. 138. *Nam, si qui voluptatibus ducuntur, et se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores*: l. m.: *Nam qui se voluptatibus et se vitiorum illecebris cett.*

67. §. 140. *At vero ii, qui senatus consilium, qui auctoritatem bonorum, qui instituta maiorum neglexerunt, et imperitae aut concitatae multitudini iucundi esse voluerunt, cett.* l. m.: *ac* pro *aut.* Conjunctionem *ac* recipere malim.

Nihil omnino ab auctore harum notarum monitum est de multis lacunis, quae in ed. Aldina, sicut in prioribus edd., hanc orationem deturpant. Has primus supplevit Hervagius a. 1534. Ex hac quoque re, notas esse vetustas, conjici potest.

IN P. VATINIUM.

4. §. 9. *Quid quisque nostrûm de se ipse loquatur, non est sane, non est requirendum. Boni viri iudicent: id est maximi momenti et ponderis.* Pantagathus habet: *quod boni iudicent.* l. m.: *quid b. i.* Idem Garat. suspicatur. *quid* recipiendum est.

§. 10. *Quum mihi hoc responderis,* — l. m.: *cum ad haec resp.*

aut ita dolenter, ut aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur: l. m.: *ilia* pro *ista*. Ed. Gothofr. habet: *ista ilia*.

5. §. 12. *iudiciis — l. m.: indiciis*. Sic 1. §. 3. *indicasses* pro *iudicasses*.

6. §. 14. *quum inaudita ac nefaria sacra susceperis, quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos manes mactare soleas*, — l. m.: *allectare* pro *mactare*. Haec scriptura fortasse vera est, certe notabilis esse videtur. Pantagathus habet: *placare*.

7. §. 16. *in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius, iudex noster*: l. m.: *in iis multas m. n., in iis etiam cett.*

§. 18. *te tribuno plebis* in m. l. deletum est.

tam audacem audieris fuisse, ut unquam contra legem Aeliam aut Fufiam concilium advocaret? l. m.: *audieritis — ac* pro *aut*.

8. §. 20. *in qua tua cogitatione* — l. m.: *tum* pro *tua*.

9. §. 21. *quum eum tu consulem in vincla duceres*, — *quum* deletum est.

10. §. 24. *C. Curionem, perpetuum hostem improborum omnium, auctorem publici consilii, libertate communi tuenda maxime liberum*, — l. m.: *Curionem, quem perpetuum hostem..., in libertate cett.*

11. §. 26. *indici Vectio* — l. m.: *indiciis Vectio*.

12. §. 29. *quum tu ei contumeliosissime toties maledicas*, — l. m.: *cui tum contum*.

§. 30. *epulum est funebre*, — l. m.: *epulum fac esse funebre*.

13. §. 31. *Sed omitto epulum populi Romani, festum diem*, — Ald.: *Sed opiteco epulum Populi Ro. festum diem*: Adscriptum est: *Sed exornatus opiteco epulum Populi Ro. festus dies*:

15. §. 35. *adeone tibi sordidum consilium publicum visum est?* in libro meo *est* deletum est.

PRO M. CAELIO.

3. §. 8. *Quis est enim, cui via ista non pateat? qui isti actati, atque etiam isti dignitati, non possit, quam velit petulanter, etiam si sine ulla suspicione, at non sine argumento, maledicere?* *at non* in l. m. deletum est. Tum etiam conjunctio *si*, quae in paucis codd. abest, delenda esset.

6. §. 13. *versare suam naturam, et regere ad tempus* — l. m.: *tegere*, id quod fortasse aptius est.

7. §. 16. *Nunquam enim tam Caelius amens fuisset, ut, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret; neque eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret; nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine arcesseret. Quod quamquam nec sapienter, et me invito facit, tamen est eiusmodi, * cupidius ut magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur.* Plerique libri habent: *eiusmodi cupidus, ut;* nonnulli: *eius omnino ita cupidus* vel *eius omnino cupidus. eiusmodi cupidus* pro *ita cupidus* latine dici, non existimo. Orellius recepit Weiskii conjecturam, quae sane aliquid offensionis habet. Liber meus habet: *eius omnino non ita cupidus*, quam lectionem si receperis, apta sententia efficitur. *non* juxta *omnino* positum facile excidere potuit. *de se timide cogitare* sic accipio, ut non sit *timere a judicibus tamquam propter culpam admissam*, sed *parum fiduciae in se collocare*, cui rei opponitur *audacter atque insolenter invehi in alios, adeo innocentiam alterius insectari*. Pronomen *eius* refertur ad *Quod*.

Constat autem, Caelium de se minime timide cogitare. Propterea Cicero eum hoc loco et potissimum c. 31. vituperat, quod gloriae adipiscendae causa accusandi cupidissimus fuerit. Tamen innuit, eum accusandi non ita cupidum esse, ut alterius innocentiam insectetur. Timidum potius eum videri posse, quod vitium minime in eum cadat.

19. §. 44. *Amores autem, et hae deliciae quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim et celeriter deflorescunt) nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.* l. m.: *mutant* pro *mature*. *mutant* i. e. *se mutant*. Hanc lectionem facile praetulerim.

28. §. 67. *Alia fori vis est, alia triclinii: alia subselliorum ratio, alia lectorum: non idem iudicum comissatorumque conspectus: lux denique longe alia est solis, ac lychnorum.* l. m. pro *conspectus* habet *consessus*, quod etiam Ursinus e veteri libro affert. *consessus* praestare videtur. Est enim, sicut antea *subselliorum ratio*, ita potius *considendi ratio*, quam *adspectus iudicum*. *Consessus iudicum* saepe occurrit.

31. §. 77. *minimorum* — Ald.: *minorum*, quod mutatum est in *mimorum*.

PRO L. CORNELIO BALBO.

4. §. 8. *Hic ego nunc cuncter sic agere, iudices, non esse fas dubitare, quin, quod Cn. Pompeium fecisse constet, id non solum * licuisse, sed etiam debuisse fateamur?* Ald.: *concr* pro *cuncter*, l. m.: *Hic ego sic constitui agere*, quod interpretamentum esse videtur. *licuisse* Lambinus conjecit. Equidem existimo, verbum *decuisse*, quod libri exhibent, servari posse.

6. §. 14. *Quasi vero levius sit, quum in tanta re publica versere, et maximis negotiis praesis, facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire, quid liceat. an* habet aliquid offensionis. l. m.: *quam*, quod recipiendum esse videtur.

6. §. 15. † *Atque, ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis. Ego non huius, inquam, genere iudicii plura dicam.* l. m.: *Atqui ego iudices de causa temporum magis: quam huius genere judicii plura dicam.*

§. 16. *Mors enim quum exstinxisset invidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria niterentur.* Ernesti suspicatus est *uterentur* pro *niterentur*. Mihi in mentem venit *niterent*, ut Liv. III, 12, 5. *L. Lucretius, consul anni prioris, recenti gloria nitens.* Sed mutatio non est necessaria.

8. §. 20. *si id adscivissent socii populi ac Latini*, — l. m.: *aut* pro *ac*. *aut* praestare videtur.

9. §. 22. *sociorum atque amicorum* — l. m.: *sociorum foederatorum atque amicorum*. vox *foederatorum* apposita esse videtur, ut ad haec referantur: §. 23. *quae est ista societas, quae amicitia, quod foedus*,

10. §. 26. *constituant*, — l. m.: *constituerint*.

11. §. 28. *hanc* sc. civitatem *ante amittere non potuissent, quam huius solum civitatis mutatione vertissent.* Editores offenderunt in hac sententia, nec sine causa. l. m.: *quam hoc solum*, qua lectione recepta locus sanus esse mihi videtur. *civitatis mutatione* enim est: *cives facti alius civitatis*. Eandem lectionem profert Orell. tom. II. p. II. p. 627. ex libello rarissimo, qui Venetiis a. 1538. excusus est.

ut is Pullicius, si domum revenisset, et inde Romam rediisset, ne minus civis esset. Ald.: *revertisset: et inde Romam redisset*: adscriptum est *revenisset* pro *redisset*.

14. §. 33. *poena*, quod Or. de variorum conjectura pro *poenae* recepit, in libro meo scriptum est.

16. §. 35. *Quid id ad civitatem? Adiunctum illud etiam est cett.* l. m.: *quod vero ad civitatem* (,).

17. §. 39. *qui et veterem illam speciem foederis Marciani semper omni sanctiorem arce duxerunt*, — *arcem* ita absolute pro re sancta nominari, non est verisimile. Nec crediderim, Ciceronem ludere in nomine Marciano, id quod in ed. Gothofr. monitum est. Denique paucissimi libri *arce* exhibent; plerique *Marte*. l. m.: *arte*. Quod si receperimus, sensus erit: Apud Gaditanos plus valebat foedus, vel vetus illa species foederis, quam omnis ars, i. e. quilibet dolus. *ara* autem, quod Lambinus conjecit, aptius est, quam *arce* vel *arte*.

§. 40. *sit in nostris castris, sit in imperatorum praetoriis, sit denique inter signa atque in acie locus;* Ald.: *sive in nostris castris, sive..., sive denique inter signa atque in acie, locus sit: sive* ter in particulam *si* mutatum est.

20. §. 45. *quis dubitet de foederibus, et de toto iure pacis et belli, omnibus iuris peritissimis imperatores nostros anteferre?* l. m.: *hominibus* pro *omnibus*.

§. 47. *Iguvinatium* — Ald. *Ignatium*; adscriptum est *Faventium*.

21. §. 48. *L. Antistius* — l. m.: *P. Antistius*.

22. §. 50. † *idem heros novem Gaditanos?* idem esset Sulla, qui ante nominatur. l. m.: *idem viros IX. Gaditanos* scil. civitate donavit.

§. 51. *fecit, quod P. Crassum, quod L. Sullam, quod Q. Metellum, quod denique domesticum auctorem, patrem suum, facere viderat?* In l. m. post *Metellum* recte additum videtur *quod M. Crassum*.

PRO T. ANNIO MILONE.

9. §. 23. *Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata, neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est; et lator ipse legis, quum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit; et † electi iudices, † isque praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit.* Sic Orell. hunc locum exhibet signis corruptelae positis. Idem recte monet, *delecti* vel *lecti* potius legendum esse, quam *electi;* deinde aegre nos carere verbo substantivo. De verbo *delecti* cfr. Herzog. ad Caes. b. G. I, 3. Tum offendit nexus sententiae: *et electi iudices* scil. si estis, *isque praepositus quaestioni, qui... disceptet: reliquum cett.* Ald. habet *et isti* pro *isque*. In meo libro scriptum est *vos estis* pro *et electi*. Hoc recipio, ita ut apodosis a *vos estis* incipiat. Compendio scripturae *estis* et *electi*, quae vocabula saepissime occurrunt, facile commutari potuerunt. Pronomen *vos* hic poni, aptissimum est, postquam orator L. Domitium huic quaestioni praepositum honorifice appellavit. *vos estis iudices* scil. qui haec juste sapienterque disceptetis. Deinde sequitur: *Reliquum est* sollemni transeundi formula, sicut infra 14. §. 36. pro lege Man. 20. §. 59.

12. §. 33. *Atque per* [*omnes tribus divisis libertinis servos ille omnes, qui in libertate morarentur, lege nova additurus erat, ut ipsi cum ingenuis aequaliter suffragia ferrent.*] *An huius*

ille legis, quam Sextus Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrûm enim omnium — non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est. Haec verba, quae tum e Quintiliani libro IX, 2, §. 54. ed. Spalding., tum e Peyronii conjectura Orellius recepit, rectius abesse videntur. Gesnerus ad locum Quintil. monet, haec verba petita videri ex illa Tullii pro Milone oratione, quam in ipso judicio habuerit. Asconius enim narrat, Milonem damnatum esse, et Ciceronem postea hanc orationem diligentius elaboratam edidisse. Quum in Mss. nullum sit lacunae vestigium, nec probabile sit, Ciceronem haec: *De nostrum enim omnium* — abrupte et paulo post *Et adspexit* pari aposiopesi pronuntiasse: haec verba non videntur recipienda. Vividam reddit Cicero orationem hac re, quae subito facta esse videatur. Cfr. Cic. actionem sec. in Verrem lib. IV, 3, quam orationem nunquam habitam esse constat, in qua Cicero simulat, Polycleti artificis nomen sibi dicenti non statim in mentem venire. — Haec verba ad ipsam Ciceronis orationem *de aere alieno Milonis* p. 39. pertinere videntur, cujus orationis fragmenta edidit Angelus Majus, Mediolani 1814. Certe ex fragmento hac in parte admodum mutilato colligi nequit, haec verba nostro loco intrudenda esse.

19. §. 50. *Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox ostendisset Milonem; deinde ibi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent; tota denique res citaretur Etruria.* l. m.: *ubi neque muta solitudo...; deinde ibi multi* pro *ubi . ibi* Orell. ex Erfurt. recepit. *ubi* loco superiori aptius esse videtur, quam *dum*. Ernestius conjecit, *quum* legendum esse pro *dum*.

§. 51. *Atque illo die certe Aricia rediens devertit Clodius ad se in Albanum. Quod ut sciret Milo, illum Ariciæ fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, deversurum.* l. m.: *Atqui illo die* — Sententia melius processura videtur, si conjunctionem adversativam receperimus. In seqq. variant libri. Ald.: *quod nisi sciret illum Milo Ariciæ fuisse*: Ad marginem scriptum est *diem*, ita ut sit *illum diem. Quamvis illum diem* in hac narratione res gravissima sit, tamen *diem* potius appositum esse existimo ab eo, quem offenderit, quod *illum* et paulo post *eum* ad Clodium referendum sit.

20. §. 53. *Ante fundum Clodii, quo in fundo propter insanas illas substructiones facile mille hominum versabatur valentium, edito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum delegerat?* Redeundum esse existimo ad scripturam, quae antea hunc locum obtinuit: *valentium. Atqui excelso cett.* Ald. habet: *valentium adversari. Atqui exc.* Explicandi causa hoc verbum ad *valentium* appositum, deinde *adversarii* factum esse videtur.

23. §. 61. *cui nunquam se hic profecto tradidisset, — hic* ab Ald. abest. *cui* deletum, et ante *tradidisset huic* adscriptum est. Placet lectio: *Nunquam profecto huic se tradidisset. hic* supervacaneum esse videtur.

24. §. 65. *Quin etiam fuerit audiendus* — Ald. habet *sit aud.* Adscriptum est *fuit* pro *sit.* Ernestium *fuit* legere voluisse dicit Orell.

25. §. 68. *teterrima peste* — l. m.: *tcterrima furia et peste.*

27. §. 72. Ad sententiam *Occidi, occidi, non Sp. Mælium* scriptum est in marg. *Aqui (la Romanus) de fig.* 16. (Est c. 18. p. 158. ed. Ruhnken.) et εἰρομένη λέξις 3. R. 52 -. (Est Ari-

stot. Rhet. III, c. 9.) De eodem dicendi genere agit Bernhardy in libro qui inscribitur: „Wissenschaftliche Syntax der griechischen Sprache“ p. 452.

§. 75. *aditu et limine* — Ald., Cruqu., Francof. a. 1592., ed. Gothofredi conspirant in scriptura *lumine*, quae in Orellii notis non apparet. *lumine* i. e. *prospiciendi facultate* praeferendum esse existimo, quum *aditus* et *limen* fere eadem sint.

31. §. 84. *Ea vis, ea igitur ipsa, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit ac sustulit; cui primum mentem iniecit, ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet*, — Ald. et pleraeque edd. habent: *Ea vis, ea est igitur, quæ ... attulit, quæ illam... sustulit; cui cett.* pro *cui* adscriptum est *cum*, id quod aptius esse videtur, si *est* et *quæ* retineatur. Praestat tamen scriptura, quam Orell. recepit.

33. §. 88. *Aliter perire pestis illa non potuit.* l. m.: *potuerat.* Paulo post pro *solebat* l. m.: *audebat.* Eandem scripturam profert Orell. p. 630.

§. 90. *caput urbis*, — l. m.: *orbis*, quam scripturam Orell. quoque, ut memorabilem vel ulteriore examine dignam, e duobus edd. attulit. *urbis* praestat. Praeterquam quod *orbis* pro *orbe terrarum* a poetis usurpatur, non a Cicerone, nostro loco aptius est *caput urbis*, quod sequitur *aram sociorum, portum omnium gentium.*

ibid. *ustor pro mortuo* — Ald.: *ultro*, l. m.: *ultor*, quod pleraeque edd. exhibent. An *ustor*, nomen admodum rarum, recipiendum sit, e certis tantum codicum vestigiis decerni potest.

PRO QUINTIO.

6. §. 27. *Quod si facere nolit, atque imbiberit eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere, esse nihil precari*: — *imbiberit* a Manutio e codd. receptum esse, monet Orellius; Aldi, Gothofredi, all. edd. habent: *inhibuerit.* Lambinus explicat *imbiberit* i. e. *sibi plane proposuerit*, Pantagathus habet: *maluerit*, alius: *instituerit;* Schütz. suspicatus est: *atque ei libuerit.* In libro meo littera *b* verbi *inhibuerit* deleta, et *a* supra scriptum est, ut sit *inhiaverit*, quo verbo hominis avari indoles aptissime significatur. Itaque existimo, *inhiaverit* esse recipiendum.

Quae ad ceteras Ciceronis orationes pertinent, alias proferam, si haec, quantulacunque sunt, viris harum rerum peritis probari intellexero.

362

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010690301

87CM
DZ6

0424014G

87C.M
DZ6

NOV 2 3 19
SEP